

vi liber a fronte, & a lateribus ad ingentes bellicarum machinarum globos excutiendos aditus relinquebatur: Galeatiæ vero cornuum latera tuebantur. Cæsareanam classem tres insigni velocitate celoces anteibant; ipsa tribus acierum ordinibus instructa, in quorum singulis quindecim triremes aderant, cernebatur. Antonius Auria primo agmini præerat, atque in dextram partem deflexerat; Salviatus Rhodiorum, ac tertii agminis præfectus lævam tenebat; Andreas vero Auria mediam ductabat aciem. Utrunque honoris causa, ut assolet, absque pilis, miro ordine, atque insueto strepitu discussa tormenta, navalis certaminis ingens, raroque mortalibus visum simulachrum exhibere videbantur. Hieronymus Canalis legatus, Auria Capellii nomine consalutato, portus, commeatus, ac quidquid in sua facultate esset, benigne, ac peramice obtulit: quod confociare classem non posset, publica Senatus fide præpediri, quia foedus antiquitus cum Ottomanis Principibus iactum, recenti fide renovatum fuisset. Auria, Venetorum imperatori Cæsaris nomine actis gratiis, bona spe se esse affirmavit, ad magnas victorias adeo tutum aditum patefacturum, ut Veneti ultro cupidissime, sociis junctis armis, in commune decus, atque imperii incrementum consulturi essent. Verumtamen variis, atque incertis consiliis tota fere ea æstate tempus terendo, æquato metu, ac viribus, classes substitere: cum tandem in Turcicam passim varia morborum genera grafari cœpissent, quibus in dies sensim debilior, & infirmior redderetur, atque inde Eubœam se reciperet, ut Byzantium reverteretur. Qua ex re Auria majori spe subnixus in Peloponnesum iter direxit, Coronemque oppugnare statuit; quam adortus, licet primis Cæsareanorum conatibus oppidani, ac præfidiarii milites obstitissent, vi tamen in suam potestatem redegit; mox Patras deditione recepit. Hæc eo anno terra, marique sunt acta. Turcica vero classe Bosphorum ingressa, propinqua jam hyeme, Capellio imperatori Senatus mandavit, ut triremes extra ordinem in Aegeo, atque Ionio mari instructas missas faceret: ac reliqua classe Hieronymo Canali legato tradita, ipse cum Francisco Paschalico in patriam reverteretur: Joanni Mauro Corcyra legato injunctum, ut octingentos milites, qui præfidiariis ad tutandam insulam adjecti fuerant, dimitteret.

*Hieronymus Canalis a Capellio ad Auriam missus.*

*Turcica classis Byzantium se recepit.*

*Corona & Patra ab Auria capta.*

*Vincentius Capellius & Franciscus Paschalicus in patriam revocati.*

*Joannes Maurus Corcyra legatus.*

Ce-